

Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Sablé, Nr. 15

Notum sit omnibus quod Harduinus de Vionio, unus procerum Sabloliensium, vadens cum domino suo Rotberto Burgundio in Jerusalem super paganos cum exercitu christianorum, venit ad nostrum Majus monasterium et tertio post die dedit Deo et beato Martino nobisque monasterii ejusdem monachis, pro anima sua et predecessorum atque etiam successorum suorum animabus, et ut Deus eum sanum et incolumem ducere et reducere ad suos dignaretur, censum VIII denariorum quem fratres nostri de Sablolio solvebant ei annuatim de vinea Inferneti. Cujus rei donum posuit super altare dominicum ecclesie, vidente et audiente hoc tam memorato domino suo Rotberto Allobroge quam testibus infrascriptis, etc.